Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1315

Quelle:
Copyright:

ra explicanda. Ubi peroravit *Altividus*, jussu *Senis* de Virtutum Officiis differit *Iramalus*, cumque prior ostenderit, Animam Fratris *Alcidis* non interiisse, hic eam beatitudine frui demonstrat; fuisse enim Fratrem Prudentiae, Fortitudinis et Temperantiae laude clarum. Dabo locum, si quid fortasse lucis ipsi adfundat Opusculo: *Meministi ipse, ni fallor, cum ingratus patrie consul ab iniquo domitiano, cuius nunc consilium deletum est, huius ciuitatis dominium uendicasset. reuersusque infinitis exactionibus imbecillem populum denudasset. impiam ad extremum legem in concionem ueniens promulgasset, cum quanta iniquis consiliis obuiandi constantia, summisque sese ceteris trepidantibus periculis obiciens obstitit, commouensque dein melliflua et facundissima oratione astantium animos, ne iniquitatis sanciretur decretum inualuit.* Et mox adlato *Critonis* gemmas et aurum demergentis exemplo: *Ego uero in fratre illud magis ammiror, quod cum prepositus classium, antequam prefecturam cogente optimo romane rei publice consule, cunctisque ciuibus flagitantibus suscepisset, egregio de piratis certamine triumphasset, summa e uestigio cautela, cum patrie rebellassent, requirens iniquum apollonii reperit fuisse consilium. Cumque paucis huius secreti consciis inuentum dissimulans ad patriam repedasset, summos sibi ciuibus triumphos deferentibus sic, ut meministi, respondit: Cessate queso optimi ciues et talia perpetrare dimittite; non enim hic bonos piratarum uictori debetur. In concione postridie perorans circumfusam melliflua eloquentiae dape multitudinem saciauit, obtinuitque ut locuples patronus iustitie, ut prius sua, quos ex patria depredauerant circa paraclen et chereothen, ex integro recepissent, qui* (quum, quanquam?) *multorum consensu omnem predam in murorum restaurationem destinandam censuerant; dein apollonium probato coniurationis crimine quanta grauitate quanta magnificentia quanta securitate preter plurimorum opinionem in exilium condempnauit.* Paullo post haec finem imponit Orationi et Opusculo *Iramalus* his verbis: *ego quoque absolutus sum debito, requiescam;* ita, ut tertii Juvenis *Conlibiti* nullae partes sint, nisi dicamus, imperfectum esse Codicem, quamvis *Florentinus suprac.* eodem modo terminetur. Jam quid de Autore? *Altividum* Librarii peperit seu ignorantia, seu temeritas, qui, cum Exemplar ἀδέσποτον nactus fuisset, primum, quod in Textu occurrebat, Nomen proprium Fronti adscripsit. Versatum fuisse in omni veteri, praesertim *Platonica*, Philosophia, paene quaevis pagina loquitur, Christianum tamen; nam *fol.* 28. de *Angelorum ex propicie diuinitatis imperio presidiis mortalium vite consulentium* loquitur, et *fol.* 36. expositio Trinitatis mysterio ita concludit: *Sicut ergo unum deum simplicemque adoro, sic eundem quoque trinum esse confiteor;* Latinum denique produnt *fol.* 3. p. 2. enume-

rati